



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agr., 1684**

Decisio CXXX. Quæ requirantur ad validatem disimembrationis alicujus  
Ecclesiae?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

DECISIO CXXX.

Quæ requirantur ad validatem dismembrationis aliqujus Ecclesiæ?

R. P. D. Pirovano.

Decis. 282.  
par. 2. res.  
ant.

Aquilana Nullitatis erectionis.

Luna 24. Maii 1610.

SUMMARIUM.

- 1. Dismembrationes Ecclesiarum ut valeant requiruntur solemnitas & iusta causa.
- 2. Causa iusta non est sola populi multitudo.
- 3. Neque etiam Ecclesia parochialis angustia & deformitas.
- 4. Dismembrationes Ecclesiarum requirunt solemnitatem aliàs requisitam in alienatione rerum Ecclesiæ.

**P**lacuit Dominis per deducta per informantes pro Archipresbytero & Capitulo de Paganica, quod erectio Ecclesiæ sub invocatione B. Mariæ ad Præsepe intra fines Ecclesiæ antiquæ parochialis & baptismalis, & dismembratio partis curæ animarum ejusdem nulla sit, quia in ea non intervenit solemnitas & iusta causa, quæ sunt necessaria in hujusmodi dismembrationibus, cum sapiant alienationem. *Lap. alleg. 66. numer. 3. & 5.* & fuit sæpius resolutum, & præsertim in una *Elboren. dismembrationis 17. Novemb. 1600. coram bon. mem. Iusto.* & in *Toletana parochialis de Madrid. 9. Novemb. 1601. coram Corduba.* signanter notat *Abb. in c. ad audientiam, il. 1. in 1. notab. de Eccles. adificand.* Deficit enim iusta causa, quia non constat, quod propter difficilem accessum ad antiquam parochialem aliquis ex parochianis decesserit absque sacramentis, vel propter impedimentum periculum sit patens, ut in casu *Lap. alleg. 66.* & prout requiritur ad hunc effectum, ut fuit consideratum in allegatis decisionibus.

Vuu 2

Cau-



- 2 Causæ autem enumeratæ in ipsa erectione non videntur sufficientes; nam sola numerositas populi aucti non tribuit auctoritatem Ordinariis erigendi novas parochias, cum huic objecto satisfaciat Concilium Tridentinum *sess. 21. de reform. cap. 4.* dum cogendi sunt rectores vel alii, ad quos spectat cura animarum, ut tibi tot sacerdotes adjungant, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum; & quamvis inter causas ædificandi novas Ecclesias recenseatur etiam incrementum populi. *C. precipimus 16. q. 1.* tamen Concilium Tridentinum d. sideravit majorem necessitatem, scilicet distantiam loci, & parochianorum difficultatem accedendi ad percipienda sacramenta, prout sacra Congregatio Concilii declaravit, & eam sequitur *Rota in allegata Etboren. dismembrationis* & quæ in præsentî casu non iustificatur, sed potius contrarium apparet ex depositionibus testium, qui dantur in *Summar. num. 2.* dum affirmant novam Ecclesiam non longè ab antiqua matrice distare.
- 3 Postrema causa non etiam ad dismembrationem suffragari videbatur, quia scilicet Ecclesia non sit capax totius populi, & sit deformis; tum quia Concilium Tridentinum non considerat nec cap. *ad audientiam.* & satis provideri potest per erectionem novæ Cappellæ, quæ sit in proprietate parochialis antiquæ juxta ejusdem sacre Congregationis declarationem, quæ datur in Summario: quod maxime suadetur, ne ad beneficiorum divisionem de facili deveniatur, quæ regulariter prohibetur. *cap. majoribus, cap. vacante de præb. cap. 1. ubi glos. de reb. Eccl. non alien. & fuit decisum in d. Etboren. supra allegata.*
- 4 Solennitas etiam non fuit adhibita, quæ requiritur in alienatione rerum Ecclesiæ. *Rot. decis. 1. de reb. Eccl. non alien. in novis. Franc. in cap. 1. eod. tit. in 6. & fuit dism. in Marficana 14. Februarii 1594. coram Illustriss. mo Pamphilo.* in hac enim dismembratione deficit consensus Capituli, ad quod pertinet antiqua parochialis, & illius reditus. *cap. 1. de reb. Eccles. in 6. cap. ad audientiam de Eccles. edific. Gabriell. de cons. concl. 1. num. 216. ampliat. 57.* Nec suffragatur consensus Vicarii, quia cura non est penam ipsam, sed tantum exercitium, nec percipit fructus parochialis, sed suam congruam de manu Capituli, & ideo defensio Ecclesiæ non spectat ad Vicarium, sed ad Capitulum, cujus citatio propterea omittenda non erat. *Abb. in c. excipienda 8. qui vero in rept. nu. 15. post princ. de præbend. & eo magis vid. batur annullanda dismembratio prædicta, quia Episcopus referre poterat jus patronatus super Ecclesia erecta ad favorem suorum consanguineorum, quod propriè spectabat ad Capitulum. cap. ad audientiam il. 1. de Eccles. edificand.*
- Et ita resolutum vnicâ tantum parte informante &c.